THOMAS AQUINAS, NATURAL HEARING, BOOK 1, LECTIO 14

Postquam Philosophus determinavit veritatem de principiis naturae, hic excludit antiquorum dubitationes per ea quae determinata sunt de principiis. Et primo dubitationes seu errores qui provenerunt ex ignorantia materiae; secundo dubitationes seu errores qui provenerunt ex ignorantia privationis, ibi: *Tangentes quidem igitur* etc.; tertio reservat alteri scientiae dubitationes quae accidunt circa formam, ibi: *De principio autem secundum speciem* et cetera.

Circa primum duo facit: primo ponit dubitationem et errorem in quem antiqui inciderunt ex ignorantia materiae; secundo solvit eorum dubitationem per ea quae sunt determinata, ibi: *Nos autem dicimus* et cetera.

Dicit ergo primo quod post determinatam veritatem de principiis, dicendum est quod solum ista via omnis *defectus*, idest dubitatio, antiquorum solvitur. Et hoc est signum esse verum quod de principiis dictum est: nam veritas excludit omnem falsitatem et dubitationem; sed posito quocumque falso, oportet aliquam difficultatem remanere. Dubitatio autem et error antiquorum philosophorum hic fuit. Primi qui secundum philosophiam inquisierunt veritatem et naturam rerum, diverterunt in quandam aliam viam a via veritatis et a via naturali: quod accidit eis propter infirmitatem intellectus eorum. Dixerunt enim quod nihil neque generatur neque corrumpitur: quod est et contra veritatem et contra naturam. Et ad hoc ponendum eos infirmitas intellectus coegit; quia nescierunt hanc rationem solvere, per quam videbatur probari quod ens non generatur. Quia si ens fit, aut fit ex ente aut ex non ente: et utrumque horum videtur esse impossibile, scilicet quod ens fiat ex ente et quod fiat ex non ente. Quod enim ex ente aliquid fieri sit impossibile, ex hoc manifestum est, quia id quod est non fit; nihil enim est antequam fiat: et ens iam est; ergo non fit. Quod etiam ex non ente aliquid fieri sit impossibile, ex hoc manifestum est, quia semper oportet aliquid subiici ei quod fit, ut supra ostensum est, et ex nihilo nihil fit. Et ex hoc concludebatur quod entis non erat generatio neque corruptio. Et ulterius in hoc argumentantes augebant suam positionem, ut dicerent quod non essent multa entia, sed unum ens tantum. Et hoc dicebant propter rationem praedictam. Cum enim ponerent unum esse materiale principium, et ex illo nihil dicerent causari secundum generationem et corruptionem, sed solum secundum alterationem, sequebatur quod id remaneret semper unum secundum substantiam.

Deinde cum dicit: *Nos autem dicimus* etc., solvit praedictam obiectionem. Et circa hoc duo facit: primo solvit dupliciter praedictam obiectionem; secundo concludit principale propositum, ibi: *Quare secundum quod vere* et cetera.

Prima dividitur in duas secundum duas solutiones quas ponit; secunda ibi: *Alius autem quoniam* et cetera.

Dicit ergo primo quod, quantum ad modum loquendi, non differt dicere quod aliquid fit ex ente vel ex non ente, vel quod ens aut non ens faciat aliquid aut patiatur, sive de quocumque alio; et dicere huiusmodi propositiones de medico, scilicet quod medicus faciat aliquid aut patiatur, vel quod ex medico sit aliquid aut fiat. Sed dicere quod medicus faciat aliquid aut patiatur, vel quod ex medico fiat aliquid, duplicem habet intellectum: ergo dicere quod ex ente aut ex non ente fiat aliquid, aut quod ens aut non ens faciat aliquid aut patiatur, duplicem habet intellectum. Et similiter est in quibuscumque aliis terminis ponatur; puta si dicatur quod ex albo fiat aliquid, aut quod album faciat aliquid aut patiatur. Quod autem duplicem habeat intellectum, cum dicitur quod medicus aliquid facit aut patiatur, aut quod ex medico fit aliquid, sic manifestat. Dicimus enim quod medicus aedificat: sed hoc non facit inquantum est medicus, sed inquantum est aedificator: et similiter dicimus quod medicus fit albus, sed non inquantum est medicus, sed inquantum est niger. Alio modo dicimus quod medicus medicatur inquantum est medicus; et similiter quod medicus fit non medicus inquantum est medicus. Sed tunc dicimus proprie et per se medicum aliquid facere vel pati, vel ex medico aliquid fieri, quando hoc attribuitur medico inquantum est medicus: per accidens autem quando attribuitur ei, non inquantum est medicus, sed inquantum est aliquid aliud. Sic igitur patet quod cum dicitur medicum facere aliquid aut pati, vel ex medico fieri aliquid, dupliciter intelligitur, scilicet per se et per accidens. Unde manifestum est quod cum dicitur aliquid fieri ex non ente, proprie et per se hoc intelligitur si fiat aliquid ex non ente inquantum est non ens: et similis ratio est de ente. Et hanc distinctionem antiqui non percipientes, in tantum peccaverunt, quod nihil opinati sunt fieri; nec opinati sunt quod aliquod aliorum praeter id quod ponebant primum principium materiale, haberet esse substantiale. Puta, dicentes aerem esse primum materiale principium, dicebant omnia alia significare quoddam esse accidentale; et sic excludebant omnem generationem substantialem, solam alterationem relinquentes: ex eo scilicet quod, quia non fit aliquid per se vel ex non ente vel ex ente, opinabantur quod nihil possit fieri ex ente vel non ente.

Sed nos etiam ipsi dicimus quod ex non ente nihil fit simpliciter et per se, sed solum secundum accidens: quia *quod est*, idest ens, per se quidem non est ex

privatione. Et hoc ideo, quia privatio non intrat essentiam rei factae; ex hoc autem aliquid fit per se, quod inest rei postquam iam facta est; sicut figuratum fit ex infigurato non per se, sed per accidens, quia postquam iam est figuratum, infiguratum non inest ei. Sed iste est mirabilis modus fiendi aliquid ex non ente, et qui videbatur impossibilis antiquis philosophis. Sic igitur patet quod ex non ente fit aliquid non per se, sed per accidens.

Similiter si quaeratur utrum ex ente fiat aliquid, dicendum est quod ex ente fit aliquid per accidens, sed non per se. Et hoc manifestat per tale exemplum. Ponamus enim quod ex equo generetur aliquis canis: quo posito, manifestum est quod ex quodam animali fiat quoddam animal; et sic ex animali fiet animal. Non tamen fiet animal ex animali per se, sed per accidens: non enim fit inquantum est animal, sed inquantum est hoc animal; quia animal iam est antequam fiat canis, quia est equus, sed non est hoc animal quod est canis. Unde per se hoc animal quod est canis, fit ex non hoc animali, idest ex non cane. Sed si fieret animal per se et non per accidens, oporteret quod fieret ex non animali. Sic etiam est de ente: fit enim ens aliquod ex non ente hoc, sed accidit ei quod non est hoc quod fit ens. Unde non fit aliquid per se ex ente, neque per se ex non ente: hoc enim per se significat aliquid fieri ex non ente, si fiat ex non ente inquantum est non ens, ut dictum est. Et sicut cum hoc animal fit ex hoc animali, vel hoc corpus ex hoc corpore, non removetur omne corpus nec omne non corpus, nec omne animal vel non animal, ab eo ex quo aliquid fit; sic non removetur ab eo ex quo fit hoc ens, neque omne esse neque omne non esse: quia id ex quo fit hoc ens quod est ignis, habet aliquod esse, quia est aer, et aliquod non esse, quia non est ignis.

Iste est igitur unus modus solvendi praedictam dubitationem. Sed iste modus solvendi insufficiens est: si enim ens fit per accidens et ex ente et ex non ente, oportet ponere aliquid ex quo fiat ens per se; quia omne quod est per accidens, reducitur ad id quod est per se.

Ad ostendendum igitur ex quo fit aliquid per se, subiungit secundum modum, ibi: *Alius autem quoniam* et cetera. Et dicit quod contingit aliqua eadem dicere et secundum potentiam et secundum actum, ut certius determinatum est in aliis, scilicet in IX Metaphys. Ex ente igitur in potentia fit aliquid per se; ex ente autem in actu, vel ex non ente, fit aliquid per accidens. Hoc autem dicit quia materia, quae est ens in potentia, est id ex quo fit aliquid per se: haec est enim quae intrat substantiam rei factae. Sed ex privatione vel forma praecedente fit aliquid per accidens, inquantum materiae ex qua fit aliquid per se, conveniebat esse sub

tali forma vel sub tali privatione; sicut statua ex aere fit per se, sed ex non habente talem figuram et ex habente aliam figuram, fit statua per accidens.

Ultimo concludit principale propositum, ibi: *Quare secundum quod vere dicimus* etc.: dicens quod sicut vere dicimus, omnes *defectus*, idest dubitationes, solvuntur propter praedicta. Ex quibus dubitationibus coacti, aliqui antiqui removerunt quaedam praedictorum, scilicet generationem et corruptionem, et pluralitatem rerum substantialiter differentium. Sed haec natura manifestata, scilicet materia, solvit omnem illorum ignorantiam.